



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LXX. Theodoricvs XLIV. Arch.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

rūm utique beneficio Otto Imperator, & Rex Lotharingiæ antiqua Trevirensis Ecclesiæ privilegia, adjectis novis confirmarunt. Non ita favere visus est Agapitus II. Pontifex una alterave sententiâ contra Ruotbertum latâ. Annus seculi X. agebatur 56. cū grassante pestilentiae morbo per Coloniam, & latè viciniam, Ruotbertus eadem lue infectus, in celeberrimo Procerum conventu, Ruotgero & Frodoando testibus, Coloniae extinctus est annorum 26. Archipræsul.

## LXIX. HENRICVS. XLIII. ARCH.

**H**enricus Ottonis M. Cæsaris vel affinis, vel sanguinis vinculo propinquus, cum D. Wolfgango primū in Augia Divite, postea Herbipoli sub Popponis fratris disciplina hausit virtutem ac doctrinam. Valuit ea doctrina & virtus unâ cum Cæsaris autoritate, ut in Trevirensium Sedem viduam fuerit admissus ab Electoribus Canonicis. Societatis vinculo Treviros pertractus etiam D. Wolfgangus, ac ibidem in æde principe Decanus creatus, argumentis multis id præstitit, ut Canonici unam in domum mœnibus cinctam convenire, ac normam vitæ universis communem amplecti præclare cœperint. Anno 958. Henricus in foro Crucifixi DEI prægrandem imaginem religionis causâ excitavit, postquam cœlesti ostento hominum vestimenta passim notari crucis signo conspecta sunt. Paulò post Ottone Imperatore adversus Pontificem insurgente, & exercitum in Italiam ducente, eò profectus etiam Henricus, cōmuni pestilentiae malo per exercitum grassanti an. 964. Parmæ succubuit. Interea, & anno post obitum Henrici proximo cura Archiepiscopatus D. Wolfgango est commissa. Sed. Henricus an. 8.

## LXX. THEODORICVS XLIV. ARCH.

**T**heodoricus ex summæ ædis Archidiacono Trevirensium Archipræsul creatus an. 12. Ecclesiam suam felicissimè  
 O gu-

gubernavit. Anno namque mox altero, postquam electus est Antistes, Otto II. Imperator Theodorici vel precibus, vel meritis motus, Trevirorum Ecclesiam multis auxit prædiis. Annis proximis dum Ottoni per Italiam, & Romæ præsertim adstitit Archipræsul, multis à Joanne XIII. Pontifice privilegiis est honoratus. Eadem postea Benedictus VII. rata habuit, & novis confirmavit. In monasteria quàm fuerit munificus, ex eo licet intelligere, quòd Clericorum S. Paulini, & Cœnobitarum ad SS. Martyres domos necessariis opum præsiis solatus fuerit. Inter Literatos clarissimum nactus nomen Theodoricus, inter alia doctrinæ suæ testimonia reliquit posteris D. Luidgardis Catalaunæ Virginis sanctissimæ laudes, amœno carmine descriptas. Mortuus est plenus meritis an. 977. Moguntia, ibidémque in æde S. Gangelphi, quam à se extractam duodecim Clericorum fundatione instituerat, sepultus. Inter animi dolores Theodorici is ferè erat maximus, quòd Canonici Trevirenses remoto D. Wolfgango solutioris vitæ tramitem denuò repetierint, relictis prioris ac melioris vitæ legibus.

## LXXI. EGBERTVS. XLV. ARCH.

**E**gbertus illustrissimo Comitum Hollandiæ è stemmate natus, an. 978. singulari morum innocentia Vir Trevirensis Solium conscendit. Ab exordio excelsi muneris sui promovendæ Religionis studiosissimus, ex propriis amicorumque divitiis decorem addidit templis arisque; quibus accessit basilica S. Eucharii, splendidissimo apparatu exornata, dum B. Celsi reconditæ illic Reliquiæ non sine miraculo fuerunt repertæ, cum fundamentis eruendis operam navarent. In ædis summo loco splendidissimo Clavum Domini, Dentem S. Petri aliásque huius & D. Andreæ Reliquias reposuit, & eodem loco moveri severissimè prohibuit. Colonia, aut Metis superiorem de Baculo S. Petri, partem Treviros translata, in honorem Sanctissimi Pastoris & Pontificis